


dam omittunt, in inscriptione Graeca occurentia, sed et alia addunt, in quibus aliquando insignes παραχεονισμοι committuntur. Ad primam classem Interpres pertinet Vulgatus, qui librum ita inscripsit, *Apocalypsis Beati Ioannis Apostoli*, cum quo consentit Versio Arabica, iuxta Vulgatam, quae plerorumque est opinio, expressa. Addit tamen nomen etiam *Euangelistae*, et titulum ita plenius informat. *Visio Ioannis Apostoli et Euangelistae*. Ad postremam refero Syrum, qui simul et locum commemorat, ubi Ioanni Apocalypsis obtigit, et Imperatorem, a quo missus est in exilium. Forsan imitari uoluit morem illum ueterum, quibus in usu erant ὄλογαφοι ἐπισημειώσεις, siue indices istiusmodi, qui argumentum non modo, sed et tempus, iuxta et locum scripti, editique libri, significabant. Adscribam ipsam inscriptionem, uti a Syro in fronte libri exhibetur:



i. e. *Reuelatio*, quae facta est Ioanni Euangelistae a DEO in Patmo insula, in quam proscriptus erat a Nerone Caesare. Videntur etiam Pathmi meminisse aliorum Codd. inscriptiones, quae quidem hodieque uix amplius supersunt. Quod colligo ex testimonio Theodosii Alexandrini, in Commentario ad Dionysium Thracem, huc dum inedito, et inter codices, quibus patriam Holstenius donauit, afferuato. Excerpsit locum Celeberinus Fabricius, in Cod. Apoc. N. T. p. 954. et ita te habet. Καὶ ἔτέρα Ἀποκάλυψις, ἡ λεγομένη τοῦ Θεολόγου, οὐ λέγομεν δὲ τὴν ἐν Πάτμῳ τῇ μήσῳ, μὴ γένοιτο, ἀυτῇ γάρ ἀληθεσάτη ἐστίν, ἀλλὰ τὴν Φευδώνυμον καὶ ἀλλότερον. Quis interim non facile uidet, quantopere hallucinetur Syrus, dum illam proscriptionem sub Nerone factam dicit, quam ueteres ad unum fere omnes, si ab Epiphanio recesseris, sub Domitiano contigisse rectius perhibent. Ita post Eusebium L. HI. H. E. c. XVIII. Hieronymum in Cat. S. E. cap. IX. Sulpicius Severus L. II. nec non Primasius in Prooem. Com.

in